

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua
etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani
nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium
Vsvm Ac Prixin

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1676

Tit. XXVI. De Lectionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](#)

Q. Vocatur hoc Matutinum *tenebrarum*, eò quòd pridie tenebris jam paulatim ingruentibus cantari soleat.

II. Si fiat Officium trium Lectionum, & sit de Feria, in qua singulæ Lectiones sunt de Scripturâ, Absolutiones & Benedictiones sumuntur ex prima Dominica de Adventu, hoc ordine: Feriâ secundâ & quintâ dicuntur Absolutio & Benedictiones pri-
mi Nocturni: Feriâ tertîâ & sextâ secundi Noctur-
ni: Feriâ quartâ & Sabbato tertij Nocturni.

III. Si autem singulæ tres Lectiones sunt de Homilia super Evangelium, Absolutio dicitur se-
cundùm Ferias; Benedictiones verò dicuntur, ut in
tertio Nocturno, scilicet prima Benedictio erit:
Evangelica dicta: Secunda *Divinum auxilium*: ter-
tia *Ad Societatem*. Si sit de Sancto trium Lectionum,
Absolutio dicitur secundùm Ferias, ut suprà: Bene-
dictiones verò semper dicuntur, ut in tertio Noctur-
no, hoc modo: Prima, *Ille nos benedicat*: Secunda,
Cujus, vel, Quorum, vel Quarum Festum colimus:
Tertia *Ad Societatem*.

IV. Quando fit Officium S. MARIAE in Sabba-
to, Absolutio & Benedictiones dicuntur, ut haben-
tur in ejus Officio parvo circa finem Breviarij.

T I T U L U S XXVI.

D E L E C T I O N I B V S.

I. **L**ectiones r. leguntur ad Matutinum dictis Psalmis Nocturnorum cum Antiphonis, Ver-
sibus, Absolutionibus quoque, & Benedictioni-
bus, ut suprà. In Duplicibus & Semiduplicibus di-
cuntur novem Lectiones, id est, in quolibet No-
cturno tres: in Ferijs & Festis Simplicibus leguntur
tantum tres Lectiones.

Instruct. II.

L

R. Sic

R. Sic dictæ, quia non cantantur, sed leguntur tantum.
Quarum usus juxta aliquos à Lectione, quæ fiebat in Scholis
Patrum: juxta alios à more Hebræorum certis diebus in Sy-
nagogæ de Lege & Prophetis legentium originem sumpit.

II. In Officio novem Lectionum dicuntur hoc modo: In primo Nocturno semper leguntur tres Lectiones de Scriptura, quæ, quando suis locis propriæ aut de Communi Sanctorum non assignantur, semper leguntur, ut in Officio de Tempore, quæ suâ quâque die occurrunt legendæ. In secundo Nocturno, si de Sancto fit, tres Lectiones leguntur de Vita Sancti, vel de aliquo Sermone aut Tractatu, qui ei convenit: quæ, si non adsint propriæ, leguntur ex Communi Sanctorum. Ex quo etiam Communi completur numerus trium Lectionum, quando Officium fit novem Lectionum de aliquo Sancto, qui habet tantum unam vel duas Lectiones proprias. Si fit de Dominica, vel alio Officio novem Lectionum per annum, etiam de Octava, leguntur tres Lectiones de Sermone aut Tractatu, qui in illis ponitur. In tertio Nocturno semper leguntur tres Lectiones de Homilia in Evangelium, positæ in Primo, aut ex Communi assignatae: & primæ Lectioni de Homilia semper præponitur principium Evangelij, de quo est Homilia, etiam infra Octavam. Excipiuntur ab hoc Ordinario Lectionum Matutina tenebrarum ante Pascha & Defunctorum, ut in suis Officijs ponitur.

III. Si in Officio novem Lectionum, in quo non dicitur nonum Responsorium, s. contingat fieri commemorationem de aliquo Sancto, qui propriam habet Lectionem. t. nona Lectio legitur de Sancto: Si habuerit duas Lectiones, ex duabus fiat una Lectio,

Lectio, omissâ nonâ Lectione, in dicto Officio novem Lectionum, vel Octavæ Lectioni adjuncta. u.
Quod si eodem die occurrat Dominica, vel Feria,
quæ habeat Homiliam, nona Lectio Sancti omitti-
tur, & ejus loco legitur Homilia Dominicæ vel Fe-
riæ, scilicet vel prima Lectio de Homilia, vel tres
simul in unam Lectionem conjunctæ.

S. Nam si nonum Responsorium dicitur, semper omit-
titur Lectio de Sancto, eò quod non conveniat ejusmodi Re-
sponsorium Lectioni de Sancto. In Octava Corporis Christi
verò, etiamsi nonum Responsorium non dicatur, omittitur
tamen Lectio de Sancto ob speciale decretum 8. Jun. 1670. à
Sacra Congregatione editum.

T. Unde rectè colligit Gavantus s. 3. c. 11. n. 34. si pro-
pria Lectio de Sancto non adsit, omnino omittendam esse.

V. Quod etsi ordinariè pro libitu fieri possit, in quibus-
dam tamen casibus debet omnino nona Octavæ conjungi, ut
notat Gavantus s. 5. c. 12. n. 16. si scilicet Lectio nona conti-
neat speciales Laudes Sancti, de quo fit Officium novem Le-
ctionum, ut in Festo SS. septem Fratrum contingit.

IV. In Officio trium Lectionum, si fit de Feria,
tres Lectiones leguntur de Scriptura, nisi tres sint de
Homilia, quia tunc omissis Lectionibus de Scri-
ptura, leguntur de Homilia. Si fit de Sancto, qui
habeat duas Lectiones, prima tantum erit de Scri-
ptura, ut vel legatur una, vel ex tribus junctis fiat
una: Secunda & tertia de Sancto. Si unam tantum
habuerit, vel propriam, vel ex Communi, assigna-
tam, prima & secunda erunt de Scriptura occur-
rente, tertia de Sancto; quod etiam servatur in Of-
ficio B. MARIAE in Sabbato. x.

X. Scilicet ut primæ duæ Lectiones semper de Scriptura
occurrente sumantur, reliqua de B. Virgine.

V. Lectiones autem de Scriptura in Officio de
Tempore sic distributæ sunt per annum, ut quotidie

aliquid ex ea legatur , etiam in Officio de Sanctis , quando aliæ , ut dictum est , non assignantur .

Z. Ut si in Ferijs Majoribus & Vigilijs , in quibus Lectiones de Homilia in Evangelium legendæ sunt.

VI. Initia librorum Sacrae Scripturae (qui ferè semper in Dominicis inchoantur) eo die ponuntur , quo notata sunt , etiamsi fiat Officium de Sancto , nisi in Festo aliæ propriæ Lectiones Scripturae , vel de Communi assignentur ; tunc enim initium Lectionis de Scriptura transfertur in sequentem diem similiter non impeditam a. & Lectiones illi diei de eadem Scriptura assignatae , vel cum Superioribus Lectionibus legantur , vel omittantur ; ita ut non oporteat eos amplius in aliquo sequenti die resumere ; sed illæ legantur , quæ suâ quâque die occurront , aut cum eisdem jungantur . Quod semper servetur , quando Lectiones occurrentes de Scriptura aliquo die omittuntur .

A. Id est , talem , in qua Lectiones ex Communi , vel aliæ propriæ ex Scriptura assignentur .

VII. Cum autem initium alicujus Epistolæ Catholicæ tempore Paschali , aut alicujus Prophetæ minoris mense Novembri , infra hebdomadam illorum temporum impeditur , aliquo Festo novem Lectionum habente proprias Lectiones de Scriptura , dictum initium Epistolæ aut Prophetæ , quoad commodè fieri potest , ponatur in sequenti Feria , alio simili initio Scripturae ponendo , vel Festo non impeditâ ; alioquin in præcedenti similiter non impedita , ita ut aliquo modo ponatur , etiamsi plura initia eodem die poni oporteret .

VIII. De Scriptura quoque tantum positum est , quantum satis videtur pro numero hebdomada-

rum ,

rum, quæ esse possunt inter Epiphaniam, & Septuagesimam, & inter Pentecosten, & Adventum. Ubi verò contingit minui numerum Dominicarum & Hebdomadarum post Epiphaniam, adveniente Dominica Septuagesimæ, quod superest de Epistolis B. Pauli, quæ distributæ sunt pro numero dictarum Dominicarum & Hebdomadarum, eo anno omititur, quamvis de aliquibus Epistolis nihil sit lectum. b. Quod etiam fit de Scriptura ex libris Regum (de quibus legitur ab Octava Pentecostes usque ad Dominicam primam Augusti) cùm non expletur numerus Dominicarum post Pentecosten de eis libris annotatus usque ad mensem Augusti, quia tunc Lectionibus de his libris omissis legitur de Scriptura, quæ ponitur mense Augusti. Quod si fiat de aliqua Dominicæ post Epiphaniam anticipatè in Feria, eo modo, quo dictum est de Dominis n. 4. & s. tunc post Officium Dominicæ anticipatæ in sequentibus diebus legatur Epistola S. Pauli assignata Dominicæ anticipatæ, & sequentibus Ferijs, omissis alijs, quæ sunt assignatæ præcedenti hebdomadæ. Quid autem observandum sit, cùm mensis, cui quinque Dominicæ assignantur, non habuerit, nisi quatuor, in proprijs locis notatur.

B. Quia hæ Epistolæ omnes simul sumptæ constituunt unum librum, teste Gavanto hic n. 12. atque adeò sufficit primum incepisse.

I X. Lectiones de Scriptura positæ in Communi Sanctorum, leguntur in Festis, ubi assignantur in Proprio Sanctorum per annum. Rursus quando aliquod Festum in propria Ecclesia solemniter celebratur: item quando aliquod Festum novem Lectionum in Quadragesima, & Quatuor Temporibus, in

secunda Feria Rogationum, & in Vigilia Ascensionis, in quibus Ferijs in Officio de Tempore non assignantur Lectiones de Scriptura, sed de Homilia; tunc enim in Festis recurrendum est ad Lectiones de Scriptura positas in Communi Sanctorum. Quòd si in aliquibus ex supradictis Ferijs occurrat dies Octava alicujus Festi habentis Octavam, tunc in primo Nocturno diei Octavæ repetantur Lectiones, quæ in primo Nocturno Festi lectæ fuerunt: Si verò occurrat dies infra Octavam, tunc sumantur de Communi. Aliæ Lectiones secundi & tertij Nocturni positæ in Communi Sanctorum similiter leguntur, quando in Proprio Sanctorum assignantur; & quando in Ecclesia aliqua aliquod Festum celebratur cum novem Lectionibus, quia in ea est solemne, aut consuetum est in ea celebrari, quod proprias & approbatas de Festo Lectiones non habuerit.

X. Lectiones primi Nocturni leguntur cum Titulo Libri, ex quo sumuntur, nisi aliter in proprijs lec̄is notetur. **a.** Lectiones etiam secundi Nocturni, quando sunt ex aliquo sermone vel tractatu, leguntur cum titulo & nomine Authoris, aliàs minime. **d.** Et similiter in tertio Nocturno præponitur titulus Authoris, cuius est Homilia.

C. Uti in Nativitate Domini contingit, in qua Lectiones primi Nocturni sine titulo legi jubentur, etiamsi sint ex Isaia Propheta desumptæ.

D. Nisi etiam Vitæ Sanctorum à Classico quodam Autore sint conscriptæ, ut v. g. à S. Hieronymo de Scriptoribus Ecclesiasticis, uti in Festo S. Joannis Evangelistæ 26. Decembbris videre est.

XI. In fine cuiusque Lectionis dicitur *Tu autem, Domine, miserere nobis.* **e.** & respondetur: *DEO gratias.* Quod etiam fit in Lectionibus brevibus in prin-

principio Completorij, & in fine Primæ post *Pretiosam*; præterquam in triduo majoris hebdomadæ ante Pascha, & in Officio Defunctorum, ut suis locis ponitur.

E. Quia hæc verba non ad Hominem, sed DEVM diriguntur, iisque gratia petitur, ut debitum ex talibus Lectiōibus fructum referre possimus; unde meritò *Domine*, non *Domne* dicitur.

TITULUS XXVII.

DE RESPONSORIIS.

I. **R**esponsoria f. dicuntur ad Matutinum post Lectiones, id est, post quamlibet Lectionem dicitur unum Responsorium, ut infrà.

F. Sic dicta, quia uno Lectiones dicente, & Versum, Chorus respondeat. Ideoque ab Ecclesia, teste Gavanto f. 5. c. 13. n. 4. instituta sunt, ut ex ijsdem colligamus, Ecclesiam optare, ut non Auditores tantum Verbi divini in Lectionibus propositis simus, sed Factores etiam. Juxta Hugonem verò ib. cit. sunt Canticum Spirituale ad animos inter legendum sublevandos ordinatum.

II. In Festis novem Lectionum (præterquam in Festo SS. Innocentium, quando non venerit in Dominica) & in Dominicis ab Octava Paschæ inclusivè usque ad Adventum exclusivè, & à Dominica infra Octavam Nativitatis inclusivè usque ad Septuagesimam exclusivè dicuntur octo tantum Responsoria, & in fine Tertij, & Sexti, & Octavi dicitur *Gloria Patri* cum repetitione partis Responsorij: quod regulare est in fine ultimi Responsorij cuiuslibet Nocturni tam in Officio novem, quam trium Lectionum, excepto tempore Passionis, quo tempore loco *Gloria Patri* repetitur Responsorium à principio: excepto etiam Officio Defunctorum, cuius